

formam atque indumentum et stipularum magnitudinem multo minorem adhuc diversum: bracteis brevioribus, calyce profundius diviso, lomenti articulis neququam glabris, aliisque notis indicatis. — Ab *H. alpino* calyce quinquefo, albido-piloso, qui in *H. alpino* quinquedentatus et fere glaber observatur; bracteis latioribus, subovatis, quae in *H. alpino* lineares sunt; floribus majoribus et lomentis rugoso-asperis praesertim dignoscendum.

40. *Prenanthes pygmaea.*

P. calycibus 10 — 12 floris, caule ramosissimo, foliis oblongo-ovatis linearibusve in petiolum longum attenuatis dentatis vel integerrimis.

Hierarium foliis fere omnibus capillaceis. *Gmel.* Fl. sibir.

Tom. II. p. 20. Nr. 18. var. I. tab. 7. fig. 2.

Hieracium foliis radicalibus ovatis, dentatis. *Gmel.* l. c.

Nr. 18. var. II. tab. 7. fig. 3.

Tota planta glaberrima plerumque in formam hemisphaerici crescit, vix duos pollices alta et totidem cum dimidio in diametro tenens.

Radix fusiformis, simplicissima, perpendicularis, descendens.

Caulis brevissimus, vix uncialis, foliis numerosissimis, ovato-oblongis, in petiolos foliis duplo vel triplo

longiores attenuatis dense obsitus, tunc in ramos plurimos divisus inferne nudos, in medio foliis instructos, caulinis simillimis sed minoribus, ex quorum axillis pedunculi proveniunt conferti, uniflori vel iterum ramosi, multiflori.

Flores parvi.

Anthodium auctum; squamis omnibus glabris; exterioribus minutis, lanceolato-linearibus; interioribus octonis, linearibus, acutis.

Corollulae decem vel duodecim, anthodii squamis paullo longiores, luteae.

Pappus pilosus, sessilis.

Receptaculum glabrum.

Hab. ultra fluvium Jeniseam. 2.

Obs. Variat haec planta caule elongato, tri- vel quadri-pollicari; ramis minus confertis; foliis angustioribus, oblongo-linearibus. — Aliam possideo plantam caeterum huic simillimam, sed foliis radicalibus lyratis instructam. — An hujus varietas?

41. *Leontodon lanatus*.

L. calyce exteriori erecto adpresso, squamis lineari-lanceolatis, scapo unifloro dense tomentoso, foliis rigidis mucinato-pinnatifidis, laciniis angulato-dentatis.